

mus: *Et lamentatus est David, lamentationem hanc super Saulem & Jonathanem filium ejus, & dixit (eam), ut excitaret filios Judæ ad discendum arcum, h. e. cantavit illam lamentationem sæpius, ut excitaret filios Judæ ad tractandum arcum. Vocem וַיִּנְמַר & dixit, hoc in loco de canticorum recitatione usurpari, tum ex verborum contextu concludimus, tum aliis locis parallelis confirmamus. Extat Exod. XV, 1. Tunc cantavit Moses, & filii Israel canticum hoc Domino, וַיִּנְמְרוּ לַיהוָה & dicendo dicebant, vel latine his verbis dicebant: adde 2. Sam. III, 33. & 2. Par xxxv, 25. Eodem sensu & h. l. verba cohærent concinne, dum ita vertimus: *Lamentatus est David, lamentum hoc super Saulem & Jonathanem & recitavit illud, ut excitaret Judæos ad tractandum arcum. Si modo וַיִּנְמַר illud recte explicetur, omnis cadit difficultas, quæ interpretes hæcenus exercuit. Davidem enim non semel tantum aut bis, sed sæpius Saulem & Jonathanem esse lamentatum, exinde constat, quod Israelitæ de mortuos suos sæpius lamentati sint, id quod apparet ex luctu Mosis, quem Israelitæ 30. dies, lamentati sunt, Deut. xxxiv, 8. ut & ex 2. Paralipp. xxxv, 24 25. ubi dicitur, *lamenta super Josiam abiisse in statutum. Sic & David suam lamentationem sæpius iteravit, eum in finem, ut excitaret Judæos ad tractandum arcum. Huic narrationi subjicit Scriptor sacer, idem Davidis lamentum esse scriptum in enarratione vel panegyrico istius Recti, h. e. additum esse Threnis, quibus Israelitæ ex more recepto & antiquissimo Saulem Regem suum sunt lamentati. Verba ipsa hæc sunt: Ecce illud (lamentum) scriptum est in libro istius Recti. Deinde sequitur ipsum Davidis lamentum, vel carmen lugubre, a v. 19. ad 27. incl., quod in hac versione συζητῶς secundum accentus scribemus, quo olim Hebræorum more conscriptum est:***

19. *O decus Israelis, super montibus tuis confossum es,  
Quomodo ceciderunt heroes.*
20. *Ne indicetis in Gad, neque annuncietis in plateis Askelon,  
Ne letentur civitates Palæstinorum, neque exultent civitates incircumcisorum,* 12. O